

Dissertatio anatomico-pathologica qua uterus gravidus physiologice et pathologice consideratus exposita simul ejus structura sinuosa et orificiorum menses et lochia fundentium fabrica sistitur / [Abraham Vater].

Contributors

Vater, Abraham, 1684-1751.

Publication/Creation

Wittenbergae : Widow Gerdes, 1725.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jgmmfc9y>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

59491/P

[P]

VATER

τ



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30364024>

[A]

DISSERTATIO ANATOMICO-PATHOLOGICA

QVA

UTERVS GRAVIDVS

PHYSIOLOGICE ET PATHOLOGICE

CONSIDERATVS

EXPOSITA SIMVL

EIVS STRUCTVRA SINVOSA

ET ORIFICIORVM MENSES ET LOCHIA

FVNDENTIVM FABRICA

SISTITVR

A V C T O R E

ABRAHAMO VATERO

PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ANAT. ET
BOTAN. SVBSTIT. VT ET SOCIET. IMPER. NAT.
CVRIOS. ET REG. BRITANN. SOCIO.



CVM FIGVRA AENEA.

WITTENBERGAE, APVD VIDVAM GERDESIAM.
M DCC XXV.

DISSECTATIO ANATOMICO-PATHOLOGICA
OVA
UTERVS GRAVIDVS
PHYSIOLOGICE ET PATHOLOGICE
CONSIDERATVS
EXPOSITA SIMUL
EIVS STRVCTVRA SINVS
ET ORIFICIORVM MENSES ET LOCHIA
EVIDENTIVM FABRICA

AVCTORE

ABRAHAMO VATERO



GNM FIGURA MENES

WITTENBERG, APUD VIDIAM GERDISHAM
MDCCLXXV

EXPLICATIO FIGURAE

*Exhibetur hac Figura Vterus a VI. Mensibus grauidus, per
Medium iuxta Longitudinem apertus.*

- A. Vteri Fundus.
- B. Orificium uteri internum.
- C. Ouaria.
- D. Tubæ Fallopianae.
- E. Ligamenta lata.
- F. Ligamenta rotunda.
- G. Labia uteri, iuxta longitudinem aperti, ut substantia eius sinuosa, et cavitas interna in conspectum prodeat.
- H. Cavitas uteri, in cuius superficie orificia, seu cryptae anfractuosae et cauernosae, sub membrana interna oblique hiantes conspiciuntur.
 - a. Tubercula superficiem internam inaequalem exhibentia, a flatu, in uasa immisso, per cryptas illas anfractuosas et valvulosas in cavum uteri penetrante, et hoc ipso membranam internam expandente, elevata.
 - b. Orificia, sub membrana uteri interna oblique hiantia, seu potius cryptae anfractuosae, atque ob ualuulas membranosas, alternatim sibi oppositas, intus cauernosae et cellulosae, quae flatum, in vasa uterina et Sinus in margine uteri dissecti apertos immissum, in uteri cauum transmittunt, eundemque per haec orificia inflatum, per totam uteri substantiam sinuosam ad truncos usque vasorum reducunt.
 - c. Sinus in margine uteri dissecti aperti, lamellatim quasi sibi impositi, et fibris carneis in fasciculos collectis & membranulis d. colligati, omnes inter se communicantes.
 - d. Funiculi fibrosi et membranulae sinus colligantes.
 - e. Sinus maximus in superficie externa sectione apertus, Calamo Scriptorio amplior, in quo copiosa foramina, inter se et cum sinubus lateralibus communicantia, et fasciculis carnosus ac membranis a se invicem distincta, oculis patent.

ILLVSTRISSIMO
S. R. I. COMITI
ERNESTO
CHRISTOPHORO
DE MANTEVFFEL

GVBERNATORI NOWODWORIENSI
KERSTINI, KRVCKENBECKII, GANDALINI, SVMMINI
SLAWICKAVIÆ, GARDOWIZII, GENSDORFII
ROCHWIZII, RELIQA

DYNASTAE

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI
A SVMMIS STATVS ET SANCTIORIBVS
CONSILIIS

ORDINIS POLONICI AQVILAE ALBAE
EQVITI

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

ILLVSTRIMO

S. R. I. COMITI

ERNESTO

CHRISTOPHORO

DE MANITFELT

GABRIEL TORI NOWOWOLNISKI

KERSTIN, KRUCKENBECK, GANDALIN, SWAN

SLAWICKAYA, GARDOWSKI, GENDORF

ROCHWITZ, RELIQUA

DYNASTAE

POTENTISSIMO POLONIARVM REG

A SVMMIS STATVS ET SANCTIONIBVS

CONSILIS

ORDINE POLONICI AGRICOLAE ALBAE

EQVITI

DOMINO MEO GRATISSIMO

COMES ILLVSTRISIME
DOMINE GRATIOSISIME

Maecenatem, Divi Imperatoris Augusti familiarem atque consiliorum moderatorem, et elegantissime doctum, et doctorum hominum Patronum extitisse, tantaque in illos benevolentia ac beneficentia usum esse, ut ab illo omnes literarum Fautores Maecenates hodie audiant, neminem latet. In TVA, **COMES GRATIOSISIME, PERSONA ILLVSTRISIMA** Alterum Maecenatem, summumque literarum Statorem Musae Saxonicae venerantur, **QVI** inter **AUGUSTI** nostri Supremos Status Ministros eluces, **IPSE** omne Studiorum elegantiorum genus animo **TVO** complecteris vastissimo, atque literas earundemque cultores Praesidio validissimo tueris. Quid ita mirum, quod omnes ad **ILLVSTRIS-**

STRISSIMAM TVAM EXCELLENTIAM
catervatim aduolare, TIBIQUE hostias, Diis
Tutelaribus debitas, certatim immolare, ui-
deamus? Hos inter ego, clientum TVORVM
infimus, at cultu et ueneratione nequaquam
postremus, ad ILLVSTRISSIMAM TVAM
PERSONAM appropinquare, et NOMI-
NI TVO SPLENDIDISSIMO leuissimam
hanc opellam dicare audeo. Aspicias eam,
precor, COMES INDVLGENTISSIME, uul-
tu clementi, TVOQVE Patrocinio Gratiofissi-
mo bees illius auctorem, qui ad urnam usque
perseuerabit

ILLVSTRISSIMAE
EXCELLENTIAE TVAE

Vitembergae d. 22. Mart.
M DCC XXV.

deuotissimus subiectissimusque
ABRAHAMVS VATER, D. ET P. P.

PROOEMIUM.



terus Foemininus ob
 structuram suam ele-
 gantissimam, artificio-
 sissimamque, ac omni-
 bus numeris perfectam,
 tanto tamque stupendo, quale est illud
 generationis, negotio peragendo a-
 ptam, ab omni tempore admirationem
 naturae mystarum in se conuertit, eo-
 rumque diligentiam, in fabrica ipsius
 examinanda, excitauit. Hic enim, uti
 foetui, in ouulo concepto, ac ad sinum
 Ejus, per tubam Fallopianam delato,
 per integros novem menses, domicili-
 um ac alimentum praebere debet, ita
 uasis sanguiferis insignioribus a sper-
 maticis, hypogastricis et haemorrhoi-
 dalibus, speciali ratione dispositis stipa-
 tur, quorum beneficio idem tempore
 ingrauidationis, ad nutrimentum foe-
 tui contento sufficiens praebendum, u-

berrimo sanguinis affluxu irrigatur. Vasa quippe spermatica utriusque lateris, postquam ouariis ouulisque in iis contentis prospexerunt, truncis suis per ligamenta lata ad ipsum Vteri fundum penetrando, inter se non tantum, sed etiam cum reliquis, innumeris anastomosibus junguntur, uterique substantiam ductu serpentino perreptando, uarie inter se complicata et contorta, eandem fungosam atque sinuosam reddunt, unde Vterus transversim sectus innumerabilia foramina monstrat, uti uidere est apud *Regnerum de Graaf de mulier. org. generat. inservient. ac Suammerdamium, Vteri muliebr. Fabr.* Situs hic uasorum uterinorum tortuosus, ac multiplex osculorum conjunctio, nec non ualuularum in uenis, seu sinubus potius uenosis defectus praecipua causa est, quod in foeminis humanis, pu-

bertatem adeptis, sanguis in anfractibus istis sibi continuo occurrens, ac propterea in transitu suo retardatus, aucta turgescencia atque pressione sanguinis, per stata ejusmodi tempora, phasibus lunae respondentia, uersus Vteri et Vaginae cauum erumpat, quem menstruum fluxum et tributum lunare uocamus, cuius causas mechanicas pluribus exposuit *Celeberr.*

FREIND in Emmenologia eleganter conscripta. Merito enim cum Illo, sanguinem menstruum tam per Vteri, quam per Vaginae uasa, effluere iudicamus, quia eadem est partium istarum textura, eademque uasorum conformatio. Vberius tamen ex uterinis effluere, quam ex uaginae uasis, ratio suadet, quia longe plura ad Vterum excurrunt, quam ad Vaginam, et oscula quoque, prolochiorum fluxu patentia, in interna Vteri superficie hiant,

uti ex inferius dicendis clarius constabit. Non obstant exempla foeminarum, durante fluxu mensium extinctarum, in quibus solus pudoris sinus sanguine perfusus atque menstruo tinctus, Vtero interius sicco atque arcte conniunte, repertus fuit, qualia exempla e CAROLO PISONE atque BOHNIO, propriaque experientia annotata observauit *Nob. DN. a BERGER in Physiol. L. I. Cap. XX.* quia contraria exempla ab aliis annotata sunt, quale habet *Celeberr. MORGAGNI Aduers. Anatom. I. Tab. III.* qua uterum uirginis, fluente adhuc menstruo fluxu, ex capitis ictu mortuae, delineat, cuius fundus maculas aut stigmata copiosissima monstrauit, uid. *Idem Aduers. IV. Animaduers. XXVII. p. 48.* Nullum ergo dubium est, naturam in eo uariare, et

quanquam ordinario sanguis per uteri uasa effluat, interdum tamen per uaginae uasa exitum quaerat, quod imprimis in praegnantibus, quae durante Ingrauidatione, abortu tamen non subsequente, quandoque menstruae sunt, fieri iudicat laudatus FREIND. l. c. quia alias, si iste ex uterinis proueniret, abortum sequi necesse foret. Regulariter tamen menses in grauidis subsistunt, quia tunc chylus sanguinis in foetus nutrimentum cedit, donec hoc in lucem edito, sanguis in uteri substantia stagnans, per orificia, a placenta uterina derelicta, et in toto quoque uteri ambitu patentia effluat, quae purgatio, partum sequens, Lochiorum fluxus appellatur. Horum orificiorum, in interna uteri peripheria hiantium structura, ac uteri ipsius substantia sinuoso uasculosa, ad intelligendam placentae cum utero connexionem, et fluxus

liorumque affectuum, uteri causa in sexu sequiori contingentium, rationem explicandam multum lucis affert. Haec tamen omnia in Vtero ingrauidato clarius ob oculos ponuntur, quia uteri substantia, eo tempore, a sanguine largius affluente distenditur, ac orificia ista patentiora redduntur. Quoniam igitur ante aliquod tempus oblata nobis fuit occasio, in sectione foeminae a VI. mensibus grauidae, structuram uteri ingrauidati singularem explorandi, hanc in praesenti orbi erudito exponere, eiusque ductu de Abortu, Partu difficili, aliisque parturientium affectibus agere decreuimus. Haec ut clarius patefcant, uterum illum in fronte huius tractationis delineatum, exhibere uoluimus, in quo substantia sinuoso-vasculosa et cryptae anfractuosae atque cellulosae, in interna uteri superficie patentes, conspectui exhibentur. Faxit Deus T.O.M. ut hoc cedat in sui ho-



TRACTATIO PHYSIOLOGICA.

Thes. I.

Uterus humanus in Virginibus et *Differentia uteri grauidi a non grauido.*
extra grauiditatis statum mole
exiguus, contractus, densus ac
musculosus, atque angustissima
cavitate donatus est, quae in Vir-
ginibus tanta uix est, ut fabam
capere queat. Merito igitur pro
naturae miraculo habetur, illum, conceptione fa-
B cta

cta, in tantam successiue molem, sine substantiae ipsius imminutione extendi posse, ut tandem foetum faciat magnum, interdum duplicem aut multiplicem, una cum omnibus integumentis, placenta ac liquoribus ambientibus, in sinu suo continere queat. Imo admiratione magis dignum est, substantiam uteri ualidissimam musculosam, pressioni ouuli intus contenti minutissimi tenerrimique cedere, et ab hoc ad tantam usque dilatationem urgeri posse, cum potius ratio suadeat, illud a ualida fibrarum uteri constrictione comprimi, foetumque in eo contentum tenerrimum in primo quasi ortu extinguere debere, ex quo sane inexhaustam Supremi Creatoris sapientiam cognoscere licet. Fit uero ista Vteri expansio non tam ob ouuli intus turgescientis fortitudinem, quam ob uasorum uterinorum, ab humoribus largius eo confluentibus, repletionem, unde fibrae eius sensim diducuntur, ut ouulo crescenti spatium se expandendi detur, eodem plane modo, ac exigua puris particula in musculosis et aliis mollioribus partibus occlusa, partes illas in insignem tumorem eleuare ualet, quamuis inter illius pressionem ac musculosarum fibrarum resistantiam nulla detur proportio. Dependent hinc alterationes insignes post conceptionem contingentes, in toto corpore ob consensum neruorum excitatae. Ea-
que

que uasorum uterinorum copia atque capacitas efficit, quod uteri crassities in enormi ista expansione non imminuatur, sed eadem maneat, saltem quod substantia ipsius solidior in statu ingrauidationis a uasis dilatatis fiat magis fungosa.

Thes. II.

Obtinuit uterus, uti in prooemio annotauimus, vasa copiosissima a spermaticis ac hypogastricis et haemorrhoidalibus accedentia, omnia per ramulos interiectos communicantia, ac multiplici anastomosi iuncta, per quae tanquam per tot riuulos, sanguine ad uterum confluente, tota ipsius substantia inundatur. Vasa ista substantiae uteri musculosae intertexta, non rectum cursum obseruant, sed ductu maxime tortuoso ac serpentino disponuntur, quia alias in uteri expansione necessario comprimerentur et angustiora redderentur, aut plane dissilirent, nisi ambagibus istis circumducta essent, iudice *Freind l. c.* Hic ipse situs anfractuosus atque tortuosus, et multiplex anastomosis uasorum istorum facit, ut illa una cum utero, sine substantiae ac canalium imminutione, tantope-

*Substantia
eius sinuosa
et cellulosa.*

re extendi, ac sanguinem copiosius affluentem recipere ac sustinere queant. Quoniam uero, diductis a se inuicem uasorum ramificationibus, ubiuis substantiae musculosae intertextis, fibrae musculares et iisdem cohaerentes ramuli uasorum communicantes a se inuicem discedunt, fieri aliter non potest, quam ut hoc ipso substantia uteri densior in fungosam, sinuosam atque cellulosam mutetur. Ita *Fantonus Anat. Corp. human. Diss. X. de Vtero grauido, fungosa* inquit, *textura ejus apparet ceu multis quasi cauernulis, quasi lienaribus cellulis intercepta, quae inuicem ut in liene communicare uidentur.* Idemque a *Littrio* obseruatum sequentibus uerbis docet: *Cum uterum mulieris, quae a mensibus octo foetum gestabat, celeberrimus Littré examinaret, multitudinem cellularum inuenit, quarum rotunda aut oualis figura erat, diuersaque magnitudo.* Cellulae istae a fasciculis atque funiculis musculosis ipsius substantiae uterinae, sinus uasculosos colligantibus, et ab ipsis uasorum tunicis, inter ramificationes atque anastomoses eorum interiectis, efformantur, uti in figura nostra clarius ob oculos ponitur.

Thef. III.

Dum ita Vterus grauidus, a sanguine intus in sinubus uasculosis turgescente, sensim dilatatur, hoc ipso non tantum substantia eius densa laxior redditur, sed ipsa quoque orificia extremitatum uasculosarum in cauo eius patentia, ac sub membrana uteri interna oblique hiantia, simul diducuntur magisque aperiuntur. In haec, extremitates uasculosae externae ouuli membranae chorii, successiue explicatae, se insinuant, et nutrimentum ex utero haustum ad foetum ducunt, eodem plane modo, ac radices plantarum in terra resoluta ac fistulosa hinc inde serpunt, et succum alibilem hauriunt. Orificia ista non recta via membranam uteri internam perforant, sed oblique sub illa hiant, uti ex figura nostra patet, et tortuoso atque anfractuoso ductu circumducuntur, ac intus membranulis replicatis, sibi oppositis, impedita, ualuulosa et cellulosa apparent, et cryptas cauernosas exhibent. Ea tamen flatum, per uasa uterina immissum, ad cauum uteri libere transmittunt, eundemque per haec inflatum, uersus sinus uasculosos, per totam uteri

*Cryptarum
in interna
uteri superficiei, structura anfractuosa et ualuulosa.*

substantiam, omnesque eius dimensiones, ad ipsos uasorum truncos reducunt. Cryptae istae diuersae magnitudinis quidem, sat insignes tamen in utero nostro deprehenduntur, ita ut tubulum sat magnum iisdem adaptatum recipiant, ultimis autem gestationis mensibus, utero amplius extenso necessario maiora euadunt, atque obseruante *celebratissimo Morgagni Aduersar. Anat. IV. Animaduers. XXVI. p. 48.* in puerpera eo in loco, quo placenta adhuc cohaesit, ea magnitudine fuerunt, ut in maxima earum apex minimi digiti nullo negotio immitti potuerit, ubi uero placenta in partu separata, valde imminuta fuerunt.

Thes. IV.

*Communi-
cationis
placentae
cum uteri
cryptis, ac
secretionis
nutrimenti
ratio.*

Ex hoc ergo apparet, communicationem nutrimenti materni non fieri, per oscula uasorum placentae, cum orificiis ultimarum arteriolarum uterinarum commissa, uti alias secretiones in corpore nostro peraguntur, in quo tubuli secretorii cum extremis arteriolarum coniunguntur, aut potius ex iis productis generantur. In Vtero enim gra-
uido

uido nullae tales extremitates apparent, sed uasa omnia in sinus atque cellulas degenerant, cum quibus cryptae uersus cauum uteri spectantes, immediate communicant. In has ergo fibrae chorii externae explicatae penetrantes, sanguini in cryptis et sinibus degenti immerguntur, succumque nutritium ex eo absorbent. Paradoxum hoc certe multis uidebitur, quia hoc legibus secretionum in corpore nostro peractarum contrarium apparet, quod si tamen uterum grauidum et communicationem cryptarum cum sinibus attentius consideremus, manifestum est, negotium istud aliter peragi non posse. Confirmat id quoque placentae ad maturitatem deductae inspectio, cuius substantia quidem nullatenus glandulosa, sed mere uasculosa est, uti dudum euictum a *Celeberrimo Ruyschio*, fungosa tamen et in lobos, per interiectos sulcos, diuisa apparet, ac Eodem obseruante, exterior eius facies, qua ad uterum spectat, obducitur portione tunicae chorii uillosa, cum extremitatibus uasorum placentae succosis, communicante, qua succus nutritius ex utero absorptus in uenas placentae deriuatur, quemadmodum a tunica uillosa chylus ex intestinis haustus ad uasa lactea ducitur. *Vid. Thes. Anat. V. N. XLI. p. 16.* Eaque coniunctio placentae cum utero requiritur, ut ea post partum tanto facilius separari

ri queat, quae separatio multo difficilior foret, si concretio cum utero, per uasorum minimorum eiusdem et placentae mutuam inosculationem, facta esset.

Thes. V.

*Quare
cryptae
istae in to-
to interna
uteri caui-
tatis ambi-
tu reperi-
antur.*

Dubium saltem unicum expediendum restat, quare in tota interna uteri superficie, cryptae tales perviae et patentes reperiantur, cum tamen placenta humana unicum tantum locum occupet. Istae quidem aliis in locis rariores atque angustiores deprehenduntur, nihilo-fecius tamen patulae sunt, ac flatu per uasa im-misso aperiuntur, aeremque pariter, tubulo per ipsas inflatum, ubiuis ad sinus reducunt, adeo-que cum sinibus aequae, ac reliquae, quibus pla-centa cohaeret, communicant. Probabile itaque uidetur, his ipsis quoque fibras ex peripheria chorii productas insinuari, pro firmiori foetus in uteri am-bitu firmatione. Rationi enim minime consenta-neum est, illa orificia patentia nihil recipere, quia alias sanguis ex iis necessario effunderetur. Ista et-iam orificia in tota uteri, post partum inuersi, periphe-

peripheria, patentia ac sanguinem fundentia uidit ac delineauit laudatus *Ruyschius Obs. Anat. Chirurg. X. Fig. 12.* Totam enim internam uteri superficiem his cryptis donatam esse oportebat, ut quocunque in loco ouulum simplex, uel multiplex, radices suas in eius substantiam, pro formanda placenta insinuare posset. Fortassis etiam per has succus iste gelatinosus, e sanguine uterino absorbtus, ad amnium affertur, quia alias de huius origine & uis haftenus nihil certi constat: De hoc tamen nihil decernere nunc uolumus, antequam per experimenta de eo confirmati simus.

Thes. VI.

Ita ergo Foetus cum utero connexus tamdiu alim^{Partus}entum suum ex eo capit, donec sufficienter^{eiusque con-} nutritus atque perfectus, destinato partus tempore, fortioribus suis motibus, liberio^{sequentia.}rem aërem appetat, et ad exitum tendat, fractisque repagulis per uias genitales ad exteriora prorumpat. Tunc quoque placenta, iuuante inprimis uteri, ad restitutionem in pristinum ac constrictionem naturalem tendentis, motu peristaltico, a cryptis istis cauernosis liberata,

C

par-

partum secundum constituit, quae propterea secundinarum nomen obtinuit. Fieri tamen aliter nequit, quam ut orificia ista, post placentae separationem, sanguinem fundant, qui constrictione uteri per has vias exprimitur, ac fluxum lochiorum, necessarium partus consequens, efficit. Ad hunc modum, factae haud dubie sunt ualuulae istae membranosae, in cryptis anfractuosis et cellulosis replicatae et expansae, quae, utero subsidente, simul contrahuntur, & sic effusionem subitanam & nimiam purpurae vitalis impediunt. Quando demum uterus, constrictione substantiae musculosae, sinibus vasculosis interiectae, magis comprimitur, sinus atque cryptae internae angustiores redduntur, tunc nil praeter serosam colluuiem, loturae carniis similem, transmittunt. Tempus, quo uterus ad pristinam magnitudinem redigitur, uariat omnino, prout tonus eius robustior aut debilior, sanguis in sinibus crassior uel tenuior, fluxusque Lochiorum largior uel parcior est. Quamuis enim *Graafius* sedecim circiter dierum spatio ad pristinam fere magnitudinem eundem redire existimauerit, *Deuenterium* tamen octauo uel nono post partum die, et *Riolanum* post uiginti quatuor horas hoc ipsum reperisse docet *Morgagni l. c.* Expodata ita uteri grauidi dispositione, sinuumque uterinorum & cryptarum internarum

narum conformatione, facilior nunc pater uia, ad affectuum, uteri grauidi causa foeminis contingentium, expositionem. Sequitur ergo nunc

PARS ALTERA

TRACTATIO PATHOLOGICA

DE

AFFECTIBVS

PARTURIENTIVM

Thes. I.

Foetui humano perficiendo, integri quidem non-Abortus.
uem menses destinati sunt, quibus demum in
utero peractis, idem partu naturali in lucem
editur. Hic ipse tamen ob uarias admodum cau-
fas

las praepropere e sede sua exturbatur, ac partu praematurō, ante sui perfectionem, frequentissime ex utero expellitur, quae actio Abortio, et Foetus immaturus Abortus vocari solet. Spatium hic non permittit, omnia illa enarrare, quae abortum concitare solent, quoniam innumera sunt, quae id ipsum praestare valent. Quoniam tamen abortus, aequē ac partus naturalis, ab uteri, ad foetus ipsi molesti, expulsionem stimulati, motu constrictorio dependet, hinc omnia illa, quae intempestivam placentae ab utero separationem, foetusque versus orificium internum decubitum afficiunt, inter abortus causas referenda sunt. Culpa quandoque est matris, quandoque foetus, interdum utriusque; non raro tamen, ambobus salvis, iniuriae tantum externae, quocunque modo uterum aut foetum inclusum laedentes, eundem effectum edunt. Vterus ipse gravidus accusandus est, quando idem ob substantiam nimis strictam, extensionem sufficientem auersatur, quod iam tum suo tempore observavit *Hippocrates noster L. V. aph. 44. Quibuscunque, inquiens, extenuationis summa sunt omnia, abortiunt, priusquam habitiores fiant.* Extensionem eius impedire quoque possunt cicatrices, a laesione in partu antecedente, inductae, aut tumores in ipso utero vel in uicinia siti. *Bonetus l. c. refert*

refert exemplum foeminae, quae ob calculum grandio-
riorem in rene dextro, sinistro plane consumto,
quatuordecies utero gestans, toties quoque octauo
uel nono mense abortum passa est. Interdum in
culpa sunt molae aut particulae placentae utero
cohaerentes, ipsumque tunc temporis stimulant.
Oblervat. *Regnerus de Graaf, docente Boneto sepul-
creto L. III. Sect. XXXVIII. Obs. I. §. 12.* se Foeminas
a partus tempore quartam abortionem patientes,
per placentarum expulsionem felici cum successu,
duorum uel trium dierum spatio pristinae sanitati
restituiffe. In hoc casu nihil efficimus medicamen-
tis adstringentibus ad praecautiorem usitatis, poti-
us utiliter hoc ipso monemur, ut foeminas abor-
tum passas, remediis pellentibus temperatis atque
uterum purificantibus, contra abortum nouum mu-
niamus, antequam de nouo concipiunt. Quando-
que uero tonus solum uteri debilis, ac fibrarum e-
ius, ipsarumque ualuularum membranarum in cry-
ptis uteri expansarum et placentam sustinentium,
laxitas, ab humore seroso atque mucoso depen-
dens, abortum sine alia causa externa excitat, un-
de *Hippocrates L. V. aph. 45. Quaecunque Corpore
bene constituto, bimestres atque etiam trimestres
abortiunt, nulla incidente abortionis causa, his sane
cotyledones muco abundant, eoque fit, ut prae gravita-*

te foetus potentes esse non possint, sed disrumpantur.
 Tunc autem aromatica et balsamica, tonum uteri roborantia, optima sunt abortus prophylactica, quae e contrario subiectis calidioribus et cholericis ad haemorrhagias uteri procliuioribus potius nocent, ac abortum iis concitare aut promouere possunt.

Thes. II.

Partus difficilis.

Appropinquante partus naturalis tempore, foetus perfectio atque bene constituto et uegeto, idem exitum sibi ipsi parat, et premendo orificium uteri internum, ac pedibus uersus fundum calcitrando, illum ad sui exclusionem stimulat. At enim uero, multa hic saepissime adsunt obstacula, siue a parte matris, siue foetus, siue utriusque, quae partum difficilem reddunt. Non in omnes partus difficilis causas inquirere animus est, annotabimus hic saltem uitia uteri ac uiarum genitalium, quibus foetui ad exitum tendenti, molestia creatur, aut uia penitus intercluditur. Sic uteri culpa partus laboriosus redditur uel plane impeditur, quando ille ob nimiam relaxationem, aut tonum debilitatum, aut

tumo-

tumores, scirrhos, inflammationem aut abscessum, non rite stringitur, ac munere suo in expulsiōe foetus, uti par est, non fungitur, aut, ubi orificium eius internum, nimis constrictum et angustum, aut tumore uel cicatrice impeditum, dilatationem sufficientem renuit, uel, ubi totus uterus uitiose conformatus, praue situs, aut ob laesionem ligamentorum ad prolapsum pronus, debitae foetus directioni obest. Sed licet uterus et orificium eius nullo uitio laboret, foetusque hoc dilatato, iam tum in partus uis haereat, non raro tamen ossium pubis angustia, uaginae ipsius siccitas nimia et adstrictio, aut compressio, aut plane occlusio eius, per tumorem siue membranam, aut uitiosa ipsius conformatio partum impedit, quibus uitiis, nisi medela afferri potest, partus fieri nequit. Meretur hic recenseri casus rarissimus pariter ac curiosissimus in *Transact. Philos. Soc. Reg. Britann. Anno 1723. mens. 8. n. 379.* annotatus, cuius historiam non ingratam lectori futuram autumamus. In Comitatu nimirum Cornubiae, prope oppidum Fowye, mulier 23. annorum, adeo uitiosa organorum genitalium externorum conformatione praedita fuit, ut ad matrimonium inepta plane iudicaretur. Loco umbilici enim massa spongiosa apparuit, magnitudine oui gallinacei, tres digitos longa, ex cuius

ius duobus foraminulis, urina, nullam aliam uiam inueniens, transfudauit. Sub hac excrescentia ad distantiam palmae minoris, orificium longitudine unci-
am unam, latitudine transuersum digitum aequans, indicem uix admisit et tamen perstrinxit, qua uia menses a pubertate fluxerunt, unde eum aditum esse ad uaginam et uterum, innotuit. Ad eandem fere distantiam ab hoc, aliud orificium, isto minus, apparuit, quod cum intestino recto communicauit, uti ex fecibus tenuioribus exeuntibus patuit. Ab hoc Pseudoano uerus, unciis quinque uel sex, loco pudendis consueto extitit. Hunc in modum conformata ualitudine satis bona usa est uirgo, sed aeterna uirginitate eandem fruituram concluderunt omnes, quibus res cognita fuit. Hanc tamen nauta, cui triplex aes circa pectus fuit, uidit, amauit, duxit et non multo post impraegnavit, sed accedente partus tempore, hic alia ratione peragi non potuit, nisi postquam isthmus, inter orificium uaginae et pseudoani interiacens, et membrana crassa ac ualida, intus transuerse locata, dissecarentur. Ita foemina, conuulsionibus iam tum afflicta, e mortis faucibus erepta, ac puella uiua in lucem edita est. Integram historiam cum Icone typis impressa, cum omnibus circumstantiis relata *loc. cit.* uidere licet.

Thef. III.

Concurrunt non raro, partu instante, tales circumstantiae, ac insuperabilia obstacula, eundem inhibentia, quibus alia ratione occurrere non possumus, nisi adhibita sectione, quae Caesarea vocatur. Partus penitus impediti cura per Sectionem Caesaream. Illa uero tum demum in auxilium uocari solet, quando foetus plane extra uterum constitutus, et in tuba conceptus, uel ubi partus uiae ita occlusae, ut foetus nulla alia ratione educi queat. Eaque nihil periculi infert, ubi, matre mortua, foetus in corpore eius adhuc uiuere sentitur, aut saltem praesumitur. Ideoque impietatis et homicidii merito accusandi sunt illi, qui immatura misericordia ducti, sectionem foeminarum in partu mortuarum denegant, quia foetus, post mortem matris ad aliquod tempus non raro in uita superstites, ita saepius saluari possent, qui in utero, ob defectum manus auxiliatricis, tandem extinguuntur: At longe difficilior atque periculosior est operatio ista, ubi, matre adhuc uiuente, et necessitate, ob partum per ordinariam uiam nulla ratione sperandum, urgente, apertio non tantum abdominis, sed uteri ipsius institui, eoque ipso foetus, siue uiuus adhuc, siue iam tum mortuus, educi debet. Quicunque structuram uteri grauidi, ex sinubus innumeris atque amplissimis inter se communicantibus, quorum quidam digiti crassitiem excedunt, conflatam, qualem figura nostra

D

exhi-

exhibet, attentius considerat, uix sibi imaginari poterit, illum absque metu haemorrhagiae lethalis per-
scindi posse. Mirum propterea non est, quosdam
Medicos celebriores eandem Operationem, in matre
uiuente, penitus damnaſſe, quos inter *Rolfinckius*, quia
eam ſemel infausto ſucceſſu aggreſſus eſt, *Diff. Anat.*
L. I. c. 13. illam nunquam tentandam ſuadet, ne, quam
mors perimere decreuit, Medici manu ſublatam ru-
mor increbeſcat, cum quo etiam, *van Horne Micro-*
techn. p. 170. aliique conſentiunt. Iſtam tamen non
ſemper funeſtam eſſe, docent exempla quam plurima
felicitate peracta, quale in *Magnif. Parent. Differta-*
tione de Partu Caefareo uideri poteſt, ubi quoque
plura ab Auctoriſus allata recensentur. Sed ad il-
lam non niſi in ſumma neceſſitate, ubi omnia irrita
ſunt remedia, ac foetus educio per uiam naturalem
penitus nulla ratione peragi poteſt, accedendum eſt,
quia Iudice *Cicerone L. I. de officiis*, ad urendum & ſe-
candum Medici raro, inuitique ueniunt, nec unquam,
niſi neceſſario, ſi nulla reperiatur alia Medicina. O-
pus praeterea eſt, ut ea, debita cum circumeſpectione,
ac obſeruatis omnibus cautelis, *Differtatione ſupra*
citata expoſitis, ſuſcipiatur, ne conſcientia laedatur,
ac famae macula inuratur.

Theſ. IV.

*Secundina-
rum reten-
tio.*

Quamuis autem in partu naturaliter et debite per-

peracto, foetus feliciter prodeat, noua tamen subinde oritur difficultas circa partum secundarium, seu excretionem secundinarum. Causa huius rei est, quoniam placenta interdum firmitus, ac par est, cum utero cohaeret, adeoque difficulter ab eo secedit, quod falso dicitur a uulgo, *die Uffter sey angewachsen*/ quia haec semper per naturam utero adhaeret. Haec tamen tenax cohaesio non a firmiori uasorum uteri cum uasis placentae coalitione pendet, uti quidam autumant, qui tamen, Iudice *Ruyfchio Obs. XCVII.* maxime in eo falluntur, quemadmodum etiam ex iis, quae a nobis in parte priori huius Dissertationis demonstrata sunt, elucescit, sed plures omnino causae huc facere possunt. Inprimis accusanda hic nobis uidetur in utero, ualuularum in cryptis uterinis expansarum, placentam sustinentium constrictio nimia, uel siccitas a quacunque causa inducta, aut placentae in iis haerentis induratio, uel solum a sanguine crassiori intus stagnante expansio nimia, quam ob rem obstetrices eas digito laedere solent, quia uel per lacerationem eius, uel resecto solum funiculo umbilicali, effuso sanguine, illa flaccescit, ac facilius secedit. Singularem arctae huius cohaesionis causam saepissime in centrali funiculi umbilicalis in eam insertionem sitam esse, *Idem l. c.* scite monet, quia tunc manum funiculum trahentem difficilius sequitur. Si uero placenta, uiolentia adhibita, ab utero separatur, idem hoc ipso

grauiter laeditur ac laceratur, uel plane cum ea extrahitur, aut pars ab illa disrupta in cryptis uteri relinquitur, atque inflammationi, putredini, haemorrhagiis, molis, aliisque grauioribus Affectibus occasio datur. Placenta quoque, nisi mox post Foetum exeat, orificio uteri interno rursus coarctato, plures molestias in exclusione creare solet, quam foetus ipse, inprimis ubi funiculus, post resectionem a foetu, non satis munitus, intra uterum retrocesserit, quia proprio motu, partum multum iuuante, destituitur.

Thes. V.

*Lochiorum
fluxus mor-
bosus.*

Sequitur nunc fluxus Lochiorum, qui ex uariis admodum causis, modo nimius fit, modo imminuitur, aut plane supprimitur, uel uitiosus redditur, eoque ipso maximum puerperis periculum saepe enascitur. Equidem huius beneficio impuritates, tempore gestationis in utero collectae, expurgari debent, ac propterea a fluxu largiori non facile noxa timenda est, ut potius puerperae hoc ipso a grauioribus malis praeseruentur; tamen si ille modum excedat, cum praesentaneo uitae periculo coniungitur. Supponit quippe iste communiter grauissimam uteri laesionem atque uulnerationem, ob uiolentam placentae ab utero separationem, quo ipso, ualuulae in cryptis cauernosis expansae, distenduntur, lacerantur, aut etiam particulae, a placenta lacerata cryptis cohae-

haerentes, in utero relinquuntur. Laesis et disruptis ualuulis cauernularum membranaceis, nihil est, quod sanguinis, in uteri sinubus restitantis, effluxum moderari queat, ut adeo purpura uitalis, in tanta copia ad uterum grauidum affluens, una et semel cum impetu effundatur. Quodsi praeterea particulae a placenta, siue disruptione et laceratione, siue etiam putredine secedentes, in uteri cryptis subsistant, hae non tantum omnimodam uteri constrictionem atque osculorum apertorum coarctationem inhibent, sed praeterea, irritando continuo uteri substantiam neruosam, aut putredinem eidem communicando, effusiones tales sanguinis periculosas inducunt. Monent propterea Medici, ut placenta semper accurate examinetur, utrum illa integra ac inuiolata, an uero lacerata aut putrida sit, ut malis exinde imminentibus in tempore occurrere queat. Fluxus e contrario Lochiorum suppressus, utut adeo periculosus in principio non appareat, indeque etiam ab aegris et adstantibus quam saepissime negligatur, non leuiora tamen mala inferre potest. Rarissima sunt exempla earum, quae fluxu hoc subsistente nihil damni ex eo acceperunt, quale refert *Bonetus in Med. Septentr. Part. II. Sect. VIII. Obs. I.* foeminae, quae tam in coelibatu, quam in matrimonio, licet trium filiorum sanorum mater, nec ante, nec in, nec post partum, menses aut Lo-

chia passa est. At plerumque retentionem Lochiorum sequuntur dolores uehementes, passiones hystericae, Lipothymiae, Conuulsiones, febres continuae et putridae, purpuratae ac non raro mors ipsa, uel si hanc effugerint, foeminae inflationes abdominis, cachexiam aliaque mala reportant. Varias eaeque diuersissimae fluxus lochiorum suppressi causae sunt, quas tamen in sequenti thesi examinabimus, quia inde maxime dolores post partum dependent grauissimi, ad quas in cura dolorum respicere fas est.

Thef. VI.

*Dolores
post par-
tum.*

Dolores post partum originem trahunt ab irritatione substantiae uteri neruosae, quando hic constrictione fibrarum suarum ad naturalem suam coarctationem tendit, eoque ipso sanguinem, in sinibus restitantes, per patentes Lochiorum uias expellere conatur: hic uero crassitie atque uisciditate, interdum etiam acrimonia, aut solum, quia, ob orificia uteri occlusa et impedita, exitum non inuenit, huic pressioni resistit, unde nerui uterini uehementer lacesuntur, ac tristem illam sensationem cerebro communicant. Patet hoc ex eo, quia primiparae, integro adhuc tono uteri gaudentes, leuissimos uel plane nullos post partum experiuntur dolores, qui uero, propter substantiam uteri musculo-

sam

sam, iteratis ingrauidationibus magis extensam, tonumque hoc ipso imminutum, eo grauiores euadunt, quo pluries foeminae pariunt. Tormina ista exacerbantur et acerbiora sunt, quando sanguis uiscidus, mucosus et flatulentus in cachecticis pressioni uteri difficulter cedit, aut simul acris in scorbuticis genus neruosum stimulat, aut etiam in uteri Inflammatione imminente uel praesente, grumescendo in sinubus uterinis stagnat, unde post mortem sectione instituta, uterus grumis plenus inuentus est, uti ex *Hollerii Obseru. ad Consilia curandi* §. 8. recenset *Bonetus Sepulcr. Tom. II. L. III. Sect. XXXVIII. Obs. XIII.* Singularem quoque retentionis Lochiorum causam *Idem l.c. Obs. XI.* refert, nempe rupturam ligamentorum uteri in partu, forte autem in pleuritidem potius et febrem conjunctam culpa purgationis suppressae est rejicienda. Nul- lum tamen est dubium, ligamentorum nimiam extensionem aut rupturam fluxui debito obesse posse, quia hoc ipso uteri, fulcimento destituti, constrictio difficilior redditur. Multo magis fluxus Lochiorum deficit, quando utero in partu rupto, sanguis e sinubus in cauitatem abdominis erumpit, qualia exempla uteri, in partu difficili disrupti, apud Auctores passim occurrunt, uti uidere est apud *Bonet. l.c.* Hoc uero casu nihil auxilii superest, sed aegrae ob uteri sphacelationem moriuntur.

Tbes.

Thes. VII.

Conclusio et
utilitas hu-
ius tracta-
tionis.

Plura quidem sunt mala, quae uteri grauidi culpa, tam ante, quam in, et post, partum mulieres inuadunt, quorum tamen ratio et fundamentum ex haecenus dictis facile patet. Structura enim uteri sinuosa atque cryptarum internarum conformatio, luci a nobis exposita, insignis utilitatis est, ad fluxus mensium atque lochiorum tam naturalis, quam praeternaturalis, ac reliquorum omnium morborum uterinorum, rationem penitus intelligendam. Spongiosam quidem uteri substantiam omnes haecenus agnouerunt, eamque iam tum *Graafius* loc. cit. descripsit ac delineauit, sed quia foraminula in utero dissecto conspicua nihil aliud, quam uasa per medium secta esse, addit, iudice *Morgagni* loc. cit. sinus quidem se uidisse ostendit, peculiarem tamen sinuum horum naturam non uidetur agnouisse. Illam etiam a nemine adeo clare descriptam delineatamque esse nouimus, ac a nobis in figura nostra ac praesenti tractatione factum est. Multo minus orificiorum, menses et lochia fundentium, seu cryptarum fabricam anfractuosam et ualuulosam, ullus Anatomicorum, quantum quidem cognitum nobis est, obseruauit. Tantum de utero grauido, atque affectibus, ab eo in sexu sequiori dependentibus, commentari in praesenti uoluimus.

